



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Sanctissimo Cardinali C. Carolo Borromæo, Ecclesiæ Mediol.
Archiepiscopo, Ethices Christianæ, honorisque Sacramentorum adversus
eorum profanatores Restauratori Zelosissimo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)



SANCTISSIMO CARDINALI
D. CAROLO BORROMÆO,
ECCLESIAE MEDIOL. ARCHIEPISCOPO,

Ethices Christianæ, honorisque Sacramentorum
adversus eorum profanatores

RESTAURATORI ZELOSISSIMO.

Qui saluberrimis Instructionibus, ac Monitis suis, sacerdotalisque vigoris, & sanctioris vitæ exemplis per Mediolanensem Ecclesiam toti Orbi præluxit.



Ad locum unde exeunt flumina revertuntur (CARDINALIS Eccles. 17; SANCTISSIME) & propterea ad Te sponte refluit parvulus iste de Sacramentis rivulus; utpote de Tuo illo fonte derivatus, qui *crevit in fluvium, & in lucem solemque conversus est, atque in aquas plurimas redundavit.* 10. Ethicæ
Enimverò stillantem doctrinæ sanioris aquam ex Te derivavit. Tu alienus à vocibus eorum, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manûs, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis, ne adulatoriis illis vocibus, vocumque blanditiis, commissum Tibi populum seducerent, zelosissimas hæc voces in Concilio tuo Mediolanensi sexto opposuisti: *aliud nos Spiritûs sancti doctrina docet, aliud Apostolorum Instituta monent, aliud Patrum exempla declarant, aliud Canonum leges jubent.* Atque idè sanctissimas Instructiones Tuas non ex novellis infundatissimeque Juniorum Casuistarum opinionibus, neque ex mollioribus indulgentioris doctrinæ traditionibus, sed ex intimis visceribus Vetusstatis, atque ex purioribus Christianæ Ethices fontibus deprompsisti, ex divina utique Scriptura, Sanctorumque Patrum praxi & doctrina; quorum plenus spiritu, neglectis insanis contradicentium, doctrinæque rigorem objectantium vocibus, dedisti Te, seu veritatis à Domino, pro doctrinæ salubrioris tuitione, velut alter Hieremias, datus es *in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum,* Hieremias
adversus linientes parietem luto, absque paleis & temperatura, qui beatificant 1. populum seducentes, & dicentes, pax, pax, ubi non est pax. Tuoque illo sacerdotalis fortitudinis, immobilisque constantiæ exemplo, nobis Dux fuisti, ut & nos, neglectis similibus vocibus, & contradictionibus, sapientissima Monita, tutissimæque Instructiones Tuas constanter sequeremur. Jure proinde merito Tibi referimus acceptas nostras hæc de Sacramentis Institutiones, quia à Te mutuatas. Supplices ergo deprecamur, ut Tuo eas tutamine protegas, atque ut animarum salutis proficiat sint, cælestium eis benedictionum abundantiam Tuis intercessionibus obtineas.